

# EPISTULA LEONINA

## CXXXVI

HEBDOMADALE  
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETTIALI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXXXV** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM TRICESIMAM SEXTAM (136) !**

## **ARGUMENTA**

1. LEONEM LATINUM IN ACADEMIAM <b>ALF</b> ESSE COOPTATUM.....	03-04
2. ACADEMIA LATINITATI FOVENDAE ( <b>ALF</b> ) QUALIS SIT.....	07-08
2. QUID EST VERITAS ?.....	09-13
3. VINNETUUS ( <i>Winnetou</i> ) LATINUS (Pars tertia).....	14-26
4. ULIXES QUALIS SIT APUD HOMERUM ET APUD DANTEM.....	27-32
5. ECHUS VOCES ( <i>Werner Hümmerich, Frank Stärkert, Salim Hage</i> ) .....	33-34

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

***Cara Lectrix, Care Lector,***

*maximē gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam tricesimam sextam.*

*Leo Latinus gaudenter Tibi nuntiat se in **Academiam Latinitati Fovendae** (**ALF**) cooptatum esse. Legas, quaeso, epistulas, quae spectant ad me cooptandum. Libentissimē unā cum Academicis studebo linguae Latinae colendaē defendendaē ditificandaē.*

*Ceterum huic Epistulae Leoninae insunt multa alia et varia: Legas quoque de veritate deque Vinnetuo et Ulike necnon accipe Echus voces.*

*- Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam 136 tolle et lege et laetare et ... **pancratice vale et perge mihi favere!***

**Medullitus Te salutat  
Nicolaus Groß**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS  
Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
die Dominico, 02. m.Iul., a.2017**

# **LEONEM LATINUM**

## **IN ACADEMIAM LATINITATI FOVENDAE (ALF)**

### **COOPTATUM ESSE**

**Andreas Fritsch Berolinensis Prof.em. Latinitatis**

Tue, 19 Jul 2016 12:23:12 +0200

**Andreas Nicolao** sal. plur.

Iam saepe tibi, Nicolae, gratias egi, sed nunc tandem summas tibi gratias agere debeo, quod mihi (et aliis Latinitatis vivae studiosis) Epistulas Leoninas mittere soles nec desinis textus maioris momenti sive eligere sive ipse conscribere. Veniam peto, quod iam diu nihil rescripsi. Semper aliquid intervenit. Sed hodie tempus est et vacat tibi scribere. Liceat mihi (praeter consuetudinem) sermone patrio sive lingua vernacula scribere, quia mihi facilius est quasdam res, quae etsi etiam Latine dici sive exprimi possint, celerius exponere. In sessione enim proxima, quam Academia Latinitati Fovendae die 5 mensis Mai huius anni Romae habuit, in puncto sexto hae res consultatae sive deliberatae sunt, quas in perscriptione illius sessionis legere potes, videas:

<http://www.academialatinitatifovendae.org/Academialatinitatifovendae/Nuntii.html>

„Punctum 6. Sodales unanimiter cooptantur Remko Regtuit (commendatus a Synnova des Bouvrie, Sigride Albert et Christiano Laes) et Nico de Mico (commendatus a Theoderico Sacré, Curtio Smolak et Christiano Laes).

**In proximum annum** Tuomo Pekkanen et Gerardus Freyburger proponunt novum sodalem Annam Mariam Chevalier. Iohannes Carolus Rossi proponit Claudium Pica, Terentius Tunberg proponit Iohannem Owen, Francisca Deraedt proponit Iohannem Ramminger, **Andreas Fritsch, Theodericus Sacré et Curtius Smolak proponunt Nicolaum Gross.** Theodericus Sacré hortatur ut **novi cooptandi invitentur ad curricula mittenda,** quae a sodalibus inspiciantur ante sessionem proximam.” ...

Sun, 4 Dec 2016 21:31:39 +0100

**Nicolaus Groß Theoderico Sacré** Professori Latinitatis Lovaniensi Praesidi Academiae Latinitati Fovendae maxime honorabili SAL.PL.DIC. S.V.B.E.E.V. Care Theoderice,

huic epistolio electronico subiunxi paginam, cui breviter inscripseram de vita operibusque meis. Nam Andreas Fritsch d.18. m.Aug. me certiore fecit te exoptare talem scriptiunculam. Summas gratias tibi ago, quod tu (una cum Andrea Fritsch et Curtio Smolak sodalibus) commendavisti, ut me cooptaretis in Academiam vestram.

Valde gaudeo, quod me tanto honore affecistis. Cum sim linguae Latinae amantissimus, quam optime studebo, ut foveam Academiam Latinitati Fovendae. Affirmes, quaeso, mihi te hoc epistolium accepisse. Ceterum soleo tibi omnem Epistulam Leoninam (EL) quam citissime mittere. Novissimam (EL)

121) tibi heri misi. Accepistine? Pancratice vale et perge mihi favere. Medullitus te salutat Nicolaus Groß LEO LATINUS.

**Prof.Dr.Dirk Sacré Professor philologiae neolatinae Lovaniensis**

(*Katholieke Universiteit Leuven*)

Mon, 5 Dec 2016 10:01:54

**Nicolao suo Theodericus** s.d.p. Dignissimus sane es qui in hanc coopteris academiam! Itaque gratum fecisti quod vitam tuam adumbrasti et operum elenchum addidisti. Habemus ergo quae sodalibus ostendamus; neque dubito quin ii qui in coetu aderunt, in eandem ituri sint sententiam. Quod est in votis. Haec paucissima; tu ignosces; ferverit enim annus academicus et vela me scribentem contrahere iubet. Vale pancratice!

Die Veneris, 23.m.Iun. a.2017 14:13:5

**Theodericus Sacré Nicolao Gross**, viro doctissimo, s.d.p. Prae negotiis nimium multis adhuc fieri non potuit ut tibi, vir Latinissime, gratularer. **Gratulor, inquam, tibi, quod in Academiam Latinitati Fovendae mense Maio es cooptatus**, idemque mihi gratulor, quod mihi ceterisque Academiae sodalibus cum in aliis rebus Latinis, tum in re lexicographica opera uti tua licebit! Tu vero diplomate donabere ubi in Academiae sessione verba de te tuisque studiis coram feceris. Sic autem habeto, proximos Academiae coetus in Urbe futuros esse anno 2018 diebus 5 et 6 m. Maii. Utinam te tum convenire queamus! Interea vale optime et epistulas istas Leoninas divulgare perge strenuus!

---

Die Veneris, 23. m.Iun. a.2017 19:03:54

**Nicolaus Groß Theoderico Sacré** sal.pl.dic.

Care Theoderice,

summas gratias ago tibi ceterisque Academiae sodalibus pro honore mihi oblato. Valde gaudeo, quod mihi licebit vobiscum studere linguae Latinae colendae defendendae ditificandae. Libenter mense Maio proximi anni futuri Romam iter faciam, ut vos conveniam sermonem aditualem habiturus. Vale pancratice et perge mihi favere. Medullitus te salutat Nicolaus Groß Leo Latinus.

## VITA

Nomen mihi est *Nikolaus Groß*. Natus sum a.1955 in Saraviâ terrâ Germaniae foederali australi-occidentali.

Alumnus Universitatis Saraviensis studii philologiae Latinae, biologiae, phoneticae, indogermanisticae pernoscendis; anno autem 1987 dissertatione philologiae Latinae perscriptâ ad doctoris gradum promotus sum.

Ab anno 1981 usque ad annum 1989 in Sede operarum Neolatinitatis (cui praefuerunt *Professor Dr. Christianus Helfer* et *Pater Dr. Caelestis Eichenseer*) moderatus sum Colloquiis Latinis habendis, seminariis, in quibus disputabatur de Latinis auctoribus aetatis humanisticae et posthumanisticae, velut de Petrarcâ, Erasmo, Moro, Copernico, Bacone, Campanellâ, Cardano, Hobbesio. Praeterea adiui Professorem Helfer tres editiones Lexici Auxiliaris Germanico-Latini curantem.

Ab a.1994 usque ad a.2004 vixi in Coreâ australi, ubi in universitatibus studiorum docui linguam theodiscam et latinam. A. 1994-2002 in Coreanâ Universitate Seulensi Nationali curavi, ut candidatos promotionis doctoralis imbuerem methodis philologiae classicae praecipuîs. Seminaria enim habui philologiae Latinae, quae spectaverunt ad Ciceronem, Plautum, Terentium, Lucretium, Vergilium, Manilium, Tacitum, Senecam, Apuleium, Augustinum, necnon ad Abelardum, Petrarcam, Erasmus. Quâ in institutione cum studentibus colloquebar lingua Latinâ.

Ex a.2005 Ulmâ in urbe Germaniae Suebicâ magister gymnasii Humboldtiani doceo biologiam et linguas Latinam et Graecam. Praeterea in Universitatis Ulmensis Centro studiorum Humboldtiano (*Humboldt Studienzentrum*) habeo cursûs linguae Latinae, Graecae, Sanscritae institutorios.

A.2004 condidi domunculam editoriam, cui nomen est LEO LATINUS <http://www.leolatinus.de/>. Ídem Leo solet êdere textûs Latinos et libris typographicis et auditoriis mandatos.

## OPERA

Ex anno 1977 in periodicis commentariis Latinis (qui sunt *Ephemeris*, *Latinitas*, *Lupa*, *M.A.S.*, *Melissa*, *Retiarius*, *Rumor Varius*, *Vox Latina*) publici iuris feci numerosas symbolas Latinas. Quibus symbolis praecipue tractavi artem criticam, lexicographiam, naturalium scientiarum terminologiam atque litteraturam, necnon versiones narrationum Latinas.

Nonnulla opera litteraturae modernae in linguam Latinam converti (fabulas pueriles, quae sunt: Kästner, „*Münchhausen*“, Preußler, „*Der Räuber Hotzenplotz*“; „*Krabat*“; Goscinny, „*Le Petit Nicolas*“), fabulas romanicas novellasque (Goethe, „*Die Leiden des jungen Werther*“; Gotthelf, „*Die schwarze Spinne*“; Hauptmann, „*Bahnwärter Thiel*“; E.A.Poe, “*Black Cat*”, “*Hop Frog*” “*The pit and the pendulum*”; Dürrenmatt, „*Romulus der Große*“, Süskind, „*Parfum*“ (cui addidi „*Glossarium Fragrantiae*“), Schlink, „*Der Vorleser*“; e. al.).

In *Ephemeride*, periodico retiali, divulgare soleo *Epistulas Leoninas* (usque nunc: EL 1-121 <http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>), quae cum varia tum praecipue continent versiones Latinas textuum modernorum necnon symbolas, quae spectant ad etymologiam et scientias naturales necnon ad Latina vocabula riora, recentiora recentissimaque, quae ex longo iam tempore colligo lexicon neolatinum compositurus.

## **ACADEMIA LATINITATI FOVENDAE (ALF) QUALIS SIT**

---

In Academiae Coetu Generali Romae die 20 m. Aprilis a. 2012 habito decretum est loco textus in Coetu Generali a. 2007 a Tuomone Pekkanen Praeside ceterisque praesentibus comprobati novum textum a Curtio Smolak Praeside conscriptum atque a ceteris praesentibus sodalibus comprobatum ponere, qui sequitur:

Academia Latinitati Fovendae ante quinque et quadraginta annos Romae condita est ab hominibus e diversis orbis terrarum regionibus oriundis, quin etiam e longinquis ut America, Turcia, Iaponia. Qui cum tunc temporis studia linguae litterarumque Latinarum decrescere iam coepissent, usui huius linguae publice favere volebant. Quinto quoque anno Academia conventum internationalem instituit, in quo sola lingua Latina adhibetur.

Academiae sodalibus persuasum est usum linguae Latinae multum prodesse non solum Europaeis, qui coalescere conantur, sed etiam ceteris nationibus, quae cultum Europaeum participant. In memoriam revocare oportet linguam Latinam inter eas gentes vehiculum fuisse omnium cogitationum et inventorum alicuius momenti, donec nationalismi Europaei eam ab omni usu removere coeperunt, id quod factum est ante duo saecula.

At lingua Latina est pacificum vinculum, quo coniunguntur cultus Veteris Novique Orbis, qui vocantur. Sunt vero qui divulgent usum linguae Latinae ad solam Ecclesiam Catholicam Romanam pertinere, quod quidem non est rectum, quamquam per eam stetit, ut transacta antiquitate lingua illa, quae fuerat Romanorum, inter gentes Europae occidentalis propagaretur. Inde factum est, ut et medio, quod vocatur, aevo et aetate renascentis antiquitatis lingua Latina novis vocibus aucta per tot saecula in disputationibus quarumlibet scientiarum nec non in elegantioribus, quae dicuntur, litteris vel principatum vel locum tanti momenti obtineret, ut quae illis saeculis Latine scripta sunt operibus antiquis numero longe praestent.

Academia dat operam, ut, ubicumque fieri possit, lingua Latina praebeatur discenda et exerceatur, non solum, ut mos est inveteratus,

textus in linguas vernaculas vertendo, sed etiam scribendo et loquendo.

Academiae maxime interest, ut in iis scholis, in quibus lingua Latina discenda praebetur, methodis hodiernis ac vividioribus uti liceat, quibus discipuli delectatione ad discendum allicantur.

Imprimis autem opus est rerum publicarum gubernatores sibi conscos fieri, quanti momenti sit hereditas Latina, qua cultus atque humanitas posteris tradatur.

<http://www.academialatinitatifovendae.org/Academialatinitatifovendae/Nuntii.html>



## ΤΙ ΕΣΤΙΝ ΑΛΗΘΕΙΑ QUID EST VERITAS?

**Николай Николаевич Ге (Nikolai Nikolajewitsch Ge) pictor Russus:**  
**«Что есть истина?» Quid est veritas? (1890); Pontius Pilatus e Iesu hoc quaerit: Ioh 18,37 sq.** Dixit itaque ei Pilatus: “Ergo rex es tu?”. Respondit Iesus: “Tu dicens quia rex sum. Ego in hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati; omnis, qui est ex veritate, audit meam vocem”.<sup>38</sup> Dicit ei Pilatus: “**Quid est veritas?**”. Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Iudeos et dicit eis: “Ego nullam invenio in eo causam.”

## ΤΙ ΕΣΤΙΝ ΑΛΗΘΕΙΑ - QUID EST VERITAS?<sup>1</sup>

*Quid est veritas?* In Euangeliō Iohannis (Ioh 18,38) Pontius Pilatus hoc respondet ipsi Iesu, qui dixit se in mundum venisse *ut testimonium perhiberet veritati*. Haec quaestio ponitur proximē antequam Iesus damnatur ad poenam crucis, nec videtur ad eam responderi: Pilatus se avertit nec responsum exspectat. Haec quaestio Pontii Pilati est *locus classicus* quaestionis veritatis, quae plurimum valet in philosophiā, praesertim in disciplinā logicā ideoque a multis auctoribus ratione artificiosā atque litterariā est recepta atque explicata.

### Novum Testamentum Graece<sup>2</sup>

<sup>37</sup> εἶπεν οὖν αὐτῷ ὁ Πιλᾶτος· οὐκοῦν βασιλεὺς εἶ σύ; ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς· σὺ λέγεις ὅτι βασιλεύς εἶμι. ἐγὼ εἰς τοῦτο γεγέννημαι καὶ εἰς τοῦτο ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον, ἵνα μαρτυρήσω τῇ ἀληθείᾳ· πᾶς ὁ ὥν ἐκ τῆς ἀληθείας ἀκούει μου τῆς φωνῆς.

<sup>38</sup> λέγει αὐτῷ ὁ Πιλᾶτος· τί ἔστιν ἀλήθεια; Καὶ τοῦτο εἰπὼν πάλιν ἐξῆλθεν πρὸς τοὺς Ἰουδαίους καὶ λέγει αὐτοῖς· ἐγὼ οὐδεμίαν εὑρίσκω ἐν αὐτῷ αἰτίαν.

### Nova Vulgata<sup>3</sup>

<sup>37</sup> Dixit itaque ei Pilatus: “Ergo rex es tu?”. Respondit Iesus: “Tu dicis quia rex sum. Ego in hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati; omnis, qui est ex veritate, audit meam vocem”.

<sup>38</sup> Dicit ei Pilatus: “**Quid est veritas?**”. Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Iudeos et dicit eis: “Ego nullam invenio in eo causam.”

### versio theodisca unitaria<sup>4</sup>

<sup>37</sup> Pilatus sagte zu ihm: Also bist du doch ein König? Jesus antwortete: Du sagst es, ich bin ein König. Ich bin dazu geboren und dazu in die Welt gekommen, dass ich für die Wahrheit Zeugnis ablege. Jeder, der aus der Wahrheit ist, hört auf meine Stimme.

<sup>38</sup> Pilatus sagte zu ihm: **Was ist Wahrheit?** Nachdem er das gesagt hatte, ging er wieder zu den Juden hinaus und sagte zu ihnen: Ich finde keinen Grund, ihn zu verurteilen.

<sup>1</sup> [https://de.wikipedia.org/wiki/Was\\_ist\\_Wahrheit%3F](https://de.wikipedia.org/wiki/Was_ist_Wahrheit%3F)

<sup>2</sup> Novum Testamentum Graece, 28. Auflage, Deutsche Bibelgesellschaft.

<sup>3</sup> Nova Vulgata, Bibliorum Sacrorum Editio.

<sup>4</sup> Einheitsübersetzung, ERF online und Deutsche Bibelgesellschaft.

## Analysis

Pontius Pilatus hâc quaestione quidnam exactê dicere voluerit, alii aliter sentiunt<sup>5</sup>. Secundum **Carolum Schmitt** sententia Pilati explicari potest esse aut *scepticismus hominis defatigati* aut *agnosticismus* aut *tolerantia superior* aut casus maturo tempore factus, in quo *res publica et administratio medium se gerentes non iudicant de mundi considerationibus*.<sup>6</sup> Nescimus an Pilatus etiam Iesum irrideat, immo dubitet, num veritas probari possit a iudicibus – certum autem est a Pilato reprobari id quod Jesus dixit se *testimonium perhibere veritati*.

Hôc versu etiam exprimitur integra innocentia Iesu coram Pilati iudicio ideoque symbolum scriptis Iohanneis traditum, quo Jesus dicitur esse Agnus Dei<sup>7</sup>. Praeterea hic versus testimonio est Pilatum scepticum dubitare, quod ferê omnibus in evangeliis habetur vitiosum; Pilatus istâ quaestione se secludit a spiritu Sacrae Scripturae<sup>8</sup>.

Hoc eo magis valet, quod notio veritatis praecipue in evangelio Iohannis plurimum spectat ad Christum. Jesus enim ad Thomam discipulum suum dicit haec: „Ego sum via et veritas et vita; nemo venit ad Patrem nisi per me“ (Ioh 14,6).<sup>9</sup>

In **Evangelio Nicodemi** apocrypho, quod scriptum est 5. saeculo p.Chr.n., in *Actis Pilati* dialogus inter Pilatum et Iesum factus ita exaugetur, ut Jesus Pilato respondeat:

„Dicit Jesus: ‚Ueritas de celo est’. Dicit ei Pilatus, ‚In terris ueritas non est?’, dicit Jesus Pilato: ‚Intende ueritatem dicentis in terra, quomodo iudicantur ab his qui habent potestatem in terris.’“ Caput III, 2<sup>10</sup>

---

<sup>5</sup> Warren W. Wiersbe: *The Wiersbe Bible Commentary: The Complete New Testament*. 2007, ISBN 978-0-7814-4539-9, S. 303.

<sup>6</sup> Carl Schmitt: *Der Leviathan in der Staatslehre des Thomas Hobbes*, Köln 1982, p.67.

<sup>7</sup> Francis J. Moloney, Daniel J. Harrington: *The Gospel of John*. 1998, [ISBN 0-8146-5806-7](#), p.488–489.

<sup>8</sup> Alexander Demandt: *Pontius Pilatus*. C. H. Beck, München, 2013, p.86.

<sup>9</sup> cfr „Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis; et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos“ (Ioh 8,31-32), et „Sanctifica eos in veritate; sermo tuus veritas est“ (Ioh 17,17).

<sup>10</sup> cfr The Gospel of Nicodemus. Gesta Salvatoris. Edited by Hack Chin Kim (김학진). Toronto Medieval Latin Texts. Published for the Centre of Medieval Studies by the Pontifical Institute of Mediaeval Studies. Toronto 1973, p.19.

## Quaestio Pilati a quibus philosophis artificibusque recepta sit

Quaestio Pilati a poetis artificibusque saepe citata est et adhibita, praesertim in operibus, quae sunt argumenti philosophici. Licet eadem non sit exemplum primum aut maturrimum notionis veritatis ratione sceptica probandae, sed quia inest Testamento Novo multum valet ad religionem cultumque civilem, quaestio Pilati est testimonium valentissimum.

**Franciscus Baco** verba Pilati affert tractatu ineunte, quem scripsit *De veritate*.<sup>11</sup> Quod Baco dixit *a Pilato iocante (Jesting Pilate)* veritatem non esse cognitam, quia ille noluisset eandem exspectare, in sermone Anglico factum est nomen illius loci biblici tam commune, ut ab Aldo Huxley adhiberetur ad itinerarium quoddam inscribendum.

**Fridericus** autem **Nietzsche** in opere suo sero scripto, cuius titulus est *De Antichristo*, Pilatum propter eius quaestionem dicit esse unicum hominem in Novo Testamento commemoratum, cui honor sit attribuendus:

»Num necesse est dicere in toto Novo Testamento nullum hominem inveniri nisi unum, qui dignus sit honore? Pilatus, inquam, Romanus procurator. [...] Nobili enim irrisione Romani, coram quo abusus fit impudens verbi, quod est veritas, Novum Testamentum ditificatum est unicâ sententiâ, quae aliquanti valet, - quâ istud opus vituperatur, immo, quâ destruitur: ,Quid est veritas!«<sup>12</sup>

**Nicolaus Ge** (Николаевич Ге) Russus pictor quaestionem Pilati fecit thema operis sui, cui titulum imposuit illam ipsam. Eandem picturam Nicolaus vita exeunte una cum aliis confecit, quae spectant ad Novum Testamentum. **Michael Bulgakow** (Михаил Афанасьевич Булгаков) in narratione, quae inserta est fabulae suae romanicae, c.t. *Praeceptor et Margarita* (Мастер и Маргарита), quod est litteraturae russicae saeculi vicesimi opus classicum, etiam tractat quaestionem veritatis Pilateam, quam ipsam citat.

Denique **Simon Blackburn** dictum illud Pilati appellavit „quaestionem notoriam“, quâ et relativistae et absolutistae eodem modo caperentur.<sup>13</sup>

<sup>11</sup> Francis Bacon: *Of Truth* (1601). Situs interretialis Universitatis Civitatis Oregonianae.

<sup>12</sup> Friedrich Nietzsche: *Der Antichrist* (1888). Critica Editio Digitalis (eKGWB), 46.

<sup>13</sup> Simon Blackburn: *Wahrheit. Ein Wegweiser für Skeptiker*. Primus, Darmstadt, ISBN 3-89678-277-0, p.75.

**SYMBOLAM WIKIPEDIANAM**

*Was ist Wahrheit?*

**[https://de.wikipedia.org/wiki/Was\\_ist\\_Wahrheit%3F](https://de.wikipedia.org/wiki/Was_ist_Wahrheit%3F)**

**IN LATINUM CONVERTIT**

**NICOLAUS GROSS**

**LEO LATINUS**



**<http://www.leolatinus.de/>**

## VINNETUUS

*(pars tertia)*

WINNETOU BAND I. REISEERZÄHLUNG VON KARL MAY. KARL MAYs WERKE - HISTORISCH-KRITISCHE AUSGABE FÜR DIE KARL-MAY-GEDÄCHTNIS-STIFTUNG. Herausgegeben von Hermann Wiedenroth und Hans Wollschläger. Abteilung IV Reiseerzählungen Band 12. 1989 Haffmans Verlag AG Zürich (Buchfassung letzter Hand Freiburg 1908). In Latinum convertit NICOLAUS GROSS LEO LATINUS.



**Ecce Vetus Catabolochir (Old Shatterhand, Lex Barker) et  
Samuel Falconinus (Sam Hawkens, Ralf Wolter)**

### Clecpetrus.

Erat magnificus autumnus Americae septentrionalis. Per plus tres menses laboraveramus; tamen aliis gregibus plerisque iam reversis nos muneri nondum satisfeceramus. Hoc effectum erat duabus de causis.

Primum nobis tractanda erat regio admodum difficilis. Ferrivia construenda erat per pratarias secundum Canadianum flumen meridionale; ergo directio usque ad fontes eiusdem definita erat, item a Novo Mexico erat destinata situ vallium et saltuum. Nostra autem regio tractanda sita erat inter flumen Canadianum et Novum

Mexicum, ut directio apta demum nobis esset invenienda. Ad directionem inveniendam necessariae erant equitationes diurnae, migrationes laboriosae, multae mensurationes comparativae, antequam laborem proprium suscipere potuimus. Quae eo difficiliora erant factu, quod fuimus in regione periculosâ, ubi circumvagarentur Indiani Caeovae, Comansii, Apassii repudiantes ferriviam per regionem ducturam, quam sibi esse propriam dicerent. Itaque semper nobis magna cautio adhibenda erat, quo labores nostri aggravarentur atque retardarentur.

Respectu horum Indianorum nobis renuntiandum erat bestiis feris venandis, ne Indianos dirigeremus in vestigia nostra. Omnia autem, quibus egebamus, nobis ex urbe Sanctae Fidei missa sunt carris bovinis. Sed dolebamus nos, cum etiam haec transportatio esset valdê incerta, adventum exspectantes dimitationes continuare non posse.

Altera causa retardationis spectavit ad genus hominum, quibus grec noster constituit. Commemoravi me in urbe Ludovicopoli comissimê salutatum esse ab ingeniario superiore atque tribus gromaticis. Sic receptus speravi nos bono cum successu inter nos cooperaturos esse. In hac autem re dolenter spe deceptus sum.

Collegae mei erant veri veteratores septentrionales, qui me neocerotem, Germanum imperitum putaverunt, quo verbo convicci sunt usi. Quaerebant pecuniam neque curabant, num munere suo re verâ diligenter perfungerentur. Evidem, qui essem Germanus sincerus, impedimento eram, ut maturrimê desinerent mihi favere. Iis modicê me tangentibus officium meum gessi. Brevi tempore transacto animadverti eos non valdê peritos esse rei gromaticae; ii laboribus difficillimis mihi tributis vitam sibi reddebat quam commodissimam. Hoc non reprobavi, nam semper opinatus sum homines, quo plus sibi praestandum esset, eo fortiores fieri.

Dominus Bancroftius, ingeniarius superior, eorum erat peritissimus; dolenter autem animadverti eum diligere vinum adustum. Cum nonnulla doliola huius potuienti perniciosi Sanctâ Fide ex urbe allata essent, ille multo magis tractavit vinum adustum quam instrumenta mensoria. Interdum per dimidium diem humi erat prostratus prorsus inebriatus. Riggius, Marcius, Vilerus gromatici, quia, ut ego, solverant pro vino adusto, certatim cum illo potabant, ne quid damni contraherent. Facile fingas eos quoque dominos saepius non ita bene

se habuisse. Cum ego ne guttam quidem biberem, scilicet me operarium fuisse, cum iidem semper vicissim potarent aut crapulam edormirent. Vilerus mihi etiam omnium carissimus fuit, cum esset tam sanus, ut intellegereret me loco illorum laborare quamvis minimē obligatum. Scilicet munus nostrum his condicionibus parum progredi.

In reliquâ parte gregis nostri non minus erat desiderandum. Cum stationem nostram advenissemus, convênimus duodecim veteratores occidentalium. Ego, ut eram tiro, postquam reverentiam adversus illos adhibui non parvam, mox cognovi commercium mihi esse cum hominibus perquam male mōratis.

Mandatum illis erat, ut nos tutarentur auxiliarenturque in laboribus exanclandis. Feliciter accidit, ut per tres menses completos nihil esset causae, cur me conferrem in illorum tutelam dubiam. Quod attinet ad illorum auxilium, iustissimē contendo ibi inter se convenisse duodecim homines Civitatum Unitarum omnium pigerrimos.

En, quam male se habuit ibi disciplina!

Bancroftius erat quidem dux nomine et mandatu et moribus, sed nemo ei obtemperabat. Imperans irridebatur; tum conviciatus dolium adibat vini adusti, quasi praemium sibi daret. Riggius, Marcius, Vilerus non aliter egérunt. Ergo reverâ sat causae mihi fuit, ut clavum imperii ad me raperem. Hoc feci ita, ut a nemine animadverteretur. Fieri non potuit, ut iuveni tam imperito, quam ego fui, a talibus hominibus honor tribueretur. Si cum illis locutus essem voce imperiosâ, certê cachinnum sustulissent. Itaque agendum mihi erat submissê cautêque, ita ferê ut uxori prudenti, quae sciat maritum refragantem ita regere atque ducere, ut is hoc ne suspicetur quidem. Quamquam ab istis semiferis veteratoribus vix domabilibus cottidie decies dicebar neoceros, tamen inscii me secuti sunt, cum curarem, ut pergerent opinari se sequi voluntatem propriam.

In hac re optimē adiuvabar a Samuele Falconino eiusque comitibus Richardo Stoneo atque Vilelmo Parcero. Idem tres viri cum erant sincerissimi, tum migratores occidentales periti et prudentes et audaces. (Quod Ludovicopoli non cognoveram e facie parvi Samuelis). Idem plerumque prope me versabantur et ab aliis recedebant, minus tamen, quam ut illi laederentur.

Imprimis Samuel Falconinus adversus proprietates suas ridiculas sciebat reverentiam contumacium convenarum sibi parare.

Quandocumque voce partim severâ partim iocosâ aliquid assecutus erat, hoc effecerat, ut me adiuvaret in propositis assequendis.

Inter illum et me clam ratio facta erat, quam aptissimê dicam verbo superanitatis. Is me recepit in tutelam suam tamquam hominem, quem interrogare non necesse esset, num conveniret. Ego eram neoceros, is erat peritus occidentarius, cuius verba et facta mihi oportebant esse infallibilia. Quandocumque erat tempus et occasio, doctrinam atque usum explicabat omnium, quae necesse est in Feris Occidentalibus sciantur et fieri possint; hodie autem verum confiteor me postea a Vinnetuo institutum esse artis ratione superiore, Samuele Falconino docente posuisse tirocinium. Qui mihi proprio suo marte capulum composuit et mihi permisit, ut me hôc telo periculoso exercerem, et equo et suo ipsius corpore parvo. Postquam id assecutus sum, ut laqueo quotcumque iacto, scopum comprehendenderem, medullitus gavisus exclamavit: »Bellê, Domine iuvencule, rectê facis! Sed ne nimium superbias hac laude! Oportet magister laudet interdum puerum vel stultissimum, ne is semper reprobetur. Non paucos iuvenes occidentarios futuros institui. Et omnes multo facilis et rapidius intellexerunt quam tu. Sed si ita perrexeris exercere, fortasse fieri poterit, ut post sex vel octo annos non iam neoceros dicendus sis. Usque id temporis consoleris vetere experienciâ, stultum hominem interdum tantundem vel fortasse plura adipisci quam callidum, ni fallor.«

Haec verba videbatur êdere seriosissimê egoque item serio accepi, sed bene scivi eum omnino aliter haec sensisse.

Harum institutionum mihi imprimis eae, quae ad usum pertinebant, gratissimae erant. Nam labore professionali tantopere occupabar, ut, nisi fuisset Samuel Falconinus, ipse mihi non sumpsissem tempus ad facultates exercendas, quibus oportet praeditus sit venator pratiarum. Ceterum talia exercitia occultavimus. Semper agebatur a castris remotius, quam ut observari possemus. Samuel ita voluit. A me interrogatus, quare sic vellet, respondit:

»Tuâ causâ, Domine, sic fit. Tu es tam inhabilis ad talia facienda, ut me medullitus puderet, si isti homines nos aspectarent, Ita, nunc scis, hihihiji. In pectus animumque demittas!«

Quo effectum est, ut totus grex nihil mihi confideret quoad usum armorum et habilitatem corporis; sed hac re minimê laesus sum.

Adversus omnia impedimenta modo commemorata tandem id assecuti sumus, ut fortasse post septimanam cum proximâ sectione coniungi possemus. Ut haec ibi nuntiarentur, mittendus erat nuntius. Bancroftius declaravit fore, ut ipse una cum aliquo occidentariorum duce nuntium afferret. Haud primum nuntius missus est. Nam et cum sectione post nos sitâ et cum sectione ante nos sitâ semper commercium habueramus, semper commercium nobis habendum fuerat nuntiorum. Itaque scivi ingeniarium paeceptorem ante nos versantem esse virum valdê probum.

Mâne diei solis, cum Bancroftius resurrectus esset, putavit antea necessarium esse potationem sumere viaticam. Quam participare omnibus necessarium erat. Ego solus non invitatus eram ad hanc potationem et Falconinus et Stoneus et Parcerus non secuti sunt invitationem acceptam. Potatio trahebatur, id quod iam antea suspicatus eram, tantopere, ut non finiretur nisi Bancroftius vix posset balbutire. Eius combibones tantidem potaverant, ut non minus ebrii essent quam ille ipse. Fieri non potuit, ut eo tempore abequitaret. Vargi fecerunt id, quod tali statu semper fecerant: Repserunt post dumeta, ut edormiscerent.

Quid nunc faciendum fuit? Nuntio abeundum erat, sed isti homines nunc procul dubio usque ad postmeridianum tempus dormituri erant. Optimum erat me ipsum abequitare. At licuitne mihi abequitare? Persuasum mihi erat illos operari non perrecturos esse usque ad redditum meum, qui fieret post quattuor demum dies. Samuel Falconinus de hac re interrogatus manu indicavit directionem orientalem dicens:

»Non erit necessarium te equitare, Domine. Potes nuntium ferre ambobus illuc venientibus«.

Cum in directionem indicatam viderem, duos equites vidi appropinquantes. Qui Albi fuerunt, quorum unum cognovi veterem ducem viarum esse, qui iam compluries apud nos fuisset, ut nobis nuntium afferret proximae sectionis. Iuxta eum equitavit vir minor natu, qui non erat vestitus more occidentarii. Quem numquam videram. Iis obii. Cum advenirem, steterunt et ignotus ille ex me quaesivit, quis vocarer. Nomine audito ille me vultu cōmi et curioso aspiciens:

»Ergo tu« inquit, »iuvenis Germanus es, qui hic omnia opera facit aliis pelliculas curantibus? Certê nosti, quis sim, cum dixero nomen meum. Nomen mihi est *Leucus*«.

Hoc erat nomen directoris sectionis proximae orientalis. Ad quem nuntius fuerat mittendus. Certê propriâ causâ ipse venerat. Ab equo descendit, manum mihi dedit, oculis castra nostra pvestigavit. Cum aspexisset dormitatores post dumeta stratos et dolium vini adusti, subrisit intellegens, sed non hilariter.

»Suntne ebrii?« interrogavit.

Adnui.

»Omnesne?«

»Ita. Dominus Bancroftius voluerat te convenire. Itaque facta est compotatio viatica. Excitabo eum et - - - «

»Siste!« me interruptus ille. »Sine illos dormire. Iucundum mihi est tecum colloqui neque illos audire. Secedamus. Noli eos excitare!«

»Qui sunt illi tres viri, qui apud te steterunt?«

»Samuel Falconinus, Vilelmus Parcerus, Richardus Stoneus, nostri duces viarri probati«.

»Ah! Falconinus! Ille parvus venator sui generis! Qui est vir probus; audivi de eo. Illi viri veniant nobiscum«.

Iussum secutus adnuens illis tunc interrogavi:

»Ipse venisti, Domine Leuce. Estne aliquid gravius, quod nobis attulisti?«

»Nihil facere volueram nisi videre, quid hîc agerent et tecum, imprimis tecum colloqui. Nos enim finivimus sectionem nostram. Vos autem vestram nondum finivistis«. –

»In culpâ sunt difficultates locorum. Et volo . . . « -

»Scio, scio« me interruptus. »Dolenter omnia scio. Nisi tu tripliciter vires contendisses, Bancroftius omnino non progressus esset«. –

»Nequaquam, Domine Leuce. Nescio enim, quomodo hanc sententiam erroneam assecutus sis me sôlum sedulum fuisse, sed officium mihi est...«

»Tace, Domine, tace. Nuntii missi sunt inter me et vos ab uno ad alium locum et auscultavi, id quod non animadverterant. Magnanimus es, quod istos bibulos in tutelam recipere vis, sed ego velim audire verum. Cum autem videam et audiam te humaniorem esse quam ut dicas verum, non te, sed Samuelem Falconinum interrogabo. Considamus hôc loco«.

Ieramus ad nostrum tentorium. Ille consedit ante tentorium, in graminibus et nobis adnuit, ut idem faceremus. Cum secuti essemus hanc invitationem, coepit quaerere e Samuele Falconino et Stoneo et Parcero. Qui narraverunt ei omnia neque unum verbum supervacaneum vero addiderunt. Tamen ego hōc vel alio loco aliquam adnotationem interposui, ut mitigarem nonnullas res nimis durē relatas et defenderem collegas meos. Tamen hac re animus illius Leuci non est commotus. E contrario me iterum iterumque rogavit, ut desinerem talia conari, cum frustra fierent.

Tum, cum omnia sciret, me rogavit, ut sibi monstrarem notata mea et diarium. Non debui ei hoc optatum explere, quia alioquin eum laesisset. Vidi autem eum mihi bene velle.

Omnibus attentissimē perspectis, cum me interrogassent, non potui negare me sōlum haec delineasse et composuisse. Nam nemo aliorum lineolam duxerat vel litteram scripserat.

»Sed e diario« inquit, »non appetet quantum aut quantulum laboris singuli exanclaverint. Modum nimium excessisti in collegarum respectu laudabili«.

Tum Falconinus vultu vafro adnotavit:

»Impinge« inquit »manum sacculo eius pectorali, Domine Leuce. Ibi infixā est res laminacea, cui inerant sardinae. Sardinae sunt remotae, sed earum loco aliquid chartacei inest. Puto eius diarium esse privatum, ni fallor. In illo certē omnino alia notata sunt ac in hōc officiali, in quo dissimulat collegas pigerrimos fuisse«.

Samuel scivit me mihi notasse privatim nonnulla et in pyxide sardinarum vacuefactā mecum ferre. Mihi incommodum et iniucundum erat eum hoc dicere. Leucus me rogavit, ut etiam hoc sibi monstrarem. Quid facerem? Num meruerant collegae mei me laborare sui loco neque grates accipere? Iisdem nullo modo nocere volui, sed etiam nolui inurbanē agere cum Leuco. Itaque meum diarium ei dedi eā condicione, ut neminem certiorem faceret de argumentis libello inscriptis. Ille perlēgit, mihi reddidit, dixit:

»Nisi aliud tibi promississem, oporteret me haec folia mecum ferre et loco apto tradere. Collegae tui sunt homines omnino inepti, quibus ne unum quidem dolarium solvendum esset. Eorum loco tibi solvendum esset triplex salarium, utcumque vis. Sed affirmo tibi commodo esse haec notata bene recondere. Fortasse postea nobis erunt utilia. Sed nunc expergeficiamus famosos illos dominos«.

Leucus surrexit et strepuit. Domini, quos modo vocavit, oculis emissiciis et vultibus turbatis e fruticetis evenerunt. Bancroftius voluit conviciari, quod turbatus esset somnus suus, sed urbanê se gessit, cum sibi diceretur Dominum Leucum proximae sectionis praceptorum advenisse. Ambo inter se nondum viderant. Primo Bancroftius Leuco poculum vini adusti praebuit. Sed hoc factum non congruit cum moribus Leuci. Qui hanc invitationem statim adhibuit ad orationem poenalem habendam, qualem Bancroftius certê numquam audiverat, vel ipse acceperat. Qui eam audiens stupefactus siluit silebatque paulisper. Tum invectus est in oratorem, eius bracchia prehendit et acclamavit:

»Domine, visne mihi dicere, quod sit nomen tui?«

»Leucus mihi nomen est, iam audivisti«. –

»Et quod officium geris?«

»Sum ingeniarius superior sectionis proximae«.

»Licetne alicui nostrum ibi vobis aliquid imperare?« -

»Puto non licere«.

»Rectê quidem. Nomen meum est Bancroftius, sum ingeniarius superior huius sectionis. Nulli homini licet mihi aliquid imperare, minimê autem tibi, Domine Leuce«.


»Rectum est nos inter nos prorsus aequales esse« ille tranquillê respondit. Nulli nostrum necessarium est mandata alterius accipere. Sed si alter intellegit alterum incepto, quod uterque participat, nocere, eius est officium alterum mendorum commonefacere. Tuum propositum principale videtur inesse dolio vini adusti. Numero hîc sedecim homines, qui fuerunt omnes ebrii, cum advenirem duabus horis ante, et ita - «

»Duabus horis ante?« Bancroftius dixit sermonem eius interrumpens, »Tam diu tu iam ades?« - »Rectê quidem. Receptiones perspexi et certior factus sum, quis eas fecisset. Vos hîc pigerrimi fuistis, cum unus solus omnium minimus natu totam operam perficeret«.

Tum Bancroftius ad me versus mihi acclamavit: »Hoc tu dixisti, tu neque alias. Noli mentiri, mendacissime, perfidiosissime, proditor insidiosissime!«

Leucus autem ei respondit: »Tuus collega iuvenis urbanissimê egit et nihil de vobis dixit nisi bene. Vos in tutelam recepit et tibi suadeo, ut eum roges, ut tibi ignoscat, quod dixisti eum esse mendacem et proditorem«.

»Mene eum rogare, ut mihi ignoscat? Non in mentem mihi venit« Bancroftius irridens respondit. »Iste nescit distinguere triangulum a quadrangulo. Tamen animo sibi fingit se esse gromaticum. Nos non progressi sumus, cum ille omnia falso faceret et nos inhiberet. Si autem nunc neque hoc intellegit neque concedit, sed dissimulat et famam nostram obscurat - - - «



**Babae ! Cataholochir locutus est.**

Tum non perrexit. Per menses ego patiens fueram et passus eram istos homines quoquo modo de me iudicare. Nunc autem fuit momentum temporis, quo demonstrarem istos me existimantes valdē deceptos esse. Apprehendi Bancroftii bracchium et tam vehementer compressi, ut eum dolentem sententiam incohata non finiret. Dixi autem:

»Domine Bancrofti, nimis multum vini adusti bibisti nec potuisti edormiscere. Puto te adhuc ebrium esse teque nihil dixisse nisi vaniloquia«. –

»Mene ebrium esse? Tu es mente captus!« respondit.

»Ita, ebrius es ! Nam si scirem te esse sobrium et maledicta tua consideratē edidisse, coactus essem te tamquam puerum humum prosternere. Intellextin? Adhuc tam audax es, ut neges te esse ebrium?«

Bracchium eius firmē manu tenui. Certē ille numquam crediderat me sibi esse umquam timendum. Nunc autem timuit, quod cognovi ex eius facie. Non erat vir infirmus, sed vultu meo visus est terreri. Noluit dicere se adhuc esse ebrium, sed non ausus est opprobria sua retinere. Itaque ad duces duodecim occidentariorum se vertit, qui nobis dati erant ad adiuvandum.

»Domine Crotale, tune concedis hunc hominem me violenter tetigisse? Nonne ades, ut me tuteris?«

Iste Crotalus erat alius vargus vastus, cui videbantur esse vires trium vel quattuor hominum. Rupex, inconditus, Bancroftii combibo gratissimus.

Cum me non diligeret, nunc libenter occasionem accepit iram evomendi. Celeriter accessit, bracchium meum iam apprehendit quam ego Bancroftii bracchium adhuc apprehendi, et respondit:

»Hoc non patior, Domine Bancrofti. Iste puer prima sua tibialia nondum detrivit et vult hīc minari viris adultis iisdemque infamiam afferre et eorum famam obscurare. Manūs aufer a Domino Bancroftio, puer, ne tibi monstrem, quantus sis neoceros!«

Hōc modo me provocans bracchium meum quassit. Quod mihi etiam gratius erat, nam is erat adversarius robustior quam ingeniarius superior. Si eum moribus institui, efficacius hoc erat quam si illi monstravi me non esse ignavum. Bracchium meum eripui ex eius manu et respondi:



**Crotalus (*Rattler*) furcifer ebriosus atque violentus**

»Mene puerum? Mene neocerotem? Statim hoc revoca, Domine Crotale, ne te statim humum protundam!« -

»Tene me - « ille dixit cachinnans. »Talis neoceros tam ineptus est, ut credat - - - «

Non potuit pergere, nam eius tempori pugnum meum impegi, ut tamquam saccus immobilis corrueret et remaneret sopitus. Per nonnulla momenta temporis vastum erat silentium. Tum unus e Crotali sodalibus clamavit:

»Malum! Nosne tranquillê aspectare Germanum advenam nostrum ducem prosterrentem? Aggrediamur furciferum!«

Ille in me insiluit. Recepit eum pede ventrem percutiens. Haec est ratio certa, qua adversarius cadat. Sed in eâ utendâ firmê altero pede standum est. Eodem momento temporis genua in eius corpore nixus tempori colaphum impegi sopientem. Tum celeriter exsilui, utrumque revolucrum e cingulo eripui, clamans:

»Quis etiam - - ? Veniat!«

Tota caterva Crotaliana certê cupivit cladem utriusque sodalis ulcisci. Unus alterum aspexit more interrogantis. Ego autem iis minatus sum:

»Audite verba mea, homines! Si quis uno gradu ad me aggressus erit aut manu revolucrum apprehenderit, statim eius caput telo percutietur. Per me licet vos cogitare generaliter de neocerotibus quidquid vultis! Germanorum autem neocerotem velim vobis demonstrare unum sôlum sat bene duodecim talibus occidentariis parem esse quales vos estis«.

Tum Samuel Falconinus ad meum latus stitit dicens:

»Et ego Samuel Falconinus vobis minor, ni fallor. Hic iuvenis neoceros Germanus sub meâ tutelâ speciali est. Si quis ausus erit eum vel digito attingere, eius figuram statim telo perforabo. Hoc serio dico, memoriter tenete, hihihih!«.

Richardus Stoneus et Vilelmus Parcerus putaverunt convenire se quoque iuxta me sistere, ut significant se prorsus convenire cum Samuele Falconino.

Hoc respexerunt adversarii. Qui a me aversi suppressa convicia et minas mussitantes curabant, ut uterque prostratus resipisceret.

Bancroftio visum est prudentissimum abire in tentorium. Leucus autem me aspectaverat oculis admiratione dilatis. Nunc caput quassans voce sincerê admirantis dixit:

»Heus Domine! Hoc est quidem horribile! Nullo modo velim attingere digitos tuos. Verê dicendus es Catabolochir, quia prostravisti uno ictu pugni hominem longissimum et robustissimum. Tale numquam vidi.«.

Samuel laetitiam suam expressit laetê ac furtim ridendo.  
»Catabolochir, hihihih! Neoceros iam habet nomen bellicum. Et tale!  
Si Samuel Falconinus oculos suos in neocerotem coniecit, aliquis evadit is, ni fallor. Catabolochir, Vetus Catabolochir! Verê similis est Veteri Pyrochiri, qui quoque est occidentarius et tam robustus quam ursus. Quid vobis videtur, Richarde et Vilelme, de hôc nomine?«

Non potui audire, quae illi responderunt, nam mihi attendendum erat ad Leucum, qui manum meam apprehendens et mecum secedens dixit:  
»Mihi verê places, Domine ! Nonne tibi libet mecum abire?«

»Aut libet aut non, Domine Leuce, mihi non licet.«

»Quare?« -

»Quia hic officio obligor.«

»Vah, ego praesto hoc.«

»Quod mihi non prodest, si ipse non praestare possum. Missus sum huc, ut hanc sectionem adiuvarem in dimetando et non mihi licet abire, quia nondum opus perfecimus.«. -

»Bancroftius et tres alii perficiunt.«

»Perficiunt quidem, sed quando? Et quomodo? Non, mihi remanendum est.«.

»Sed delibera, respice, quam periculorum hoc tibi sit.«. -

»Quare?«

»Hocine quaeris? Oportet intelligas te istos homines tibi reddidisse adversissimos.«. -

»Ego non. Ego iis nihil feci.«. -

»Hoc verumst, vel potius: Hoc fuit verum. Nunc autem, cum duos illorum prostraveris, adversarius factus es illis.«. -

»Sit sanê. Ego non timeo illos. Ambobus enim ictibus pugni illis respectum inieci. Non statim aliquis illorum audebit me aggredi. Ceterum me adiuvabunt Falconinus et Stoneus et Parcerus.«.

»Utcumque vis, hominis voluntas est eius regnum caeleste, sed saepe etiam eius gehenna. Fuisses mihi utilis. Sed saltim me comitaberis aliquantum.«. -

»Quando?«

»Nunc.«. -

»Statimne vis proficisci, Domine Leuce?«

»Volo. Res hîc tales invêni, ut mihi non libeat diutius hîc remanere quam necesse est«.

»Sed tibi aliquid comedendum est antequam proficisceris, Domine«.

»Necesse non est. Habemus in nostris peris clitellariis, quibus egebimus«.

»Nonne vis Bancroftio valedicere?«

»Haud libet«.

»Sed certê venisti ad negotia cum eo tractanda«.

»Rectê quidem. Sed etiam tibi hoc dicere possum. Tu quidem melius intelleges quam ille. Imprimis velim te monere de Rubris«.

»Vidistine aliquos ?«

»Non directê. Sed vidi vestigia eorum. Tempus est nunc, quo equiferi et bisontes ad meridiem migrant; tum Indiani vicos suos relinquunt venaturi et carnes facturi. Caeiovi non sunt timendi. Nam inter eos et nos convênit de ferriviâ. Comansii autem et Apassii nondum quid sciunt de eâdem. Itaque nobis cavendum est, ne videremur ab iis. Quod attinet ad me, finivi sectionem meam et relinquam hanc regionem. Fac tu quoque finias. Hoc solum in dies fit periculosius tibi. Ephippium equo tuo inice et interroga Samuelem Falconinum, num libeat te comitari«.

Scilicet Samueli libêre. Propriê volueram hôc die laborare. Sed erat dies Dominicus, quo omnis christianus, etiam in regionibus feris, debet animum colligere et tractare officia sua spiritualia. Praeterea certê merueram diem quiescendi. Ergo adii Bancroftium in tentorio sedentem eidemque dixi me hôc die non operaturum esse, sed Leucum unâ cum Samuele Falconino comitaturum.

»Abi in nomine Diaboli, a quo cervix tua frangatur« ille respondit.

Non putavi hoc optatum immane brevi post paene expletum iri.

*(Quarta pars sequetur)*

**FABULAM**

**C.T. »VINNETUUS (*Winnetou*)«**

**A CAROLO MAY**

**CONFICTAM**

**IN LATINUM CONVERTIT**



**LEO LATINUS**

**Exornatissime ac doctissime Director,**

multas ago gratias, quod scriptum meum in Epistula Leonina edidisti.

Vobis volo subicere scriptum meum quod inscribitur: “Ulixes qualis sit apud Homerum et apud Dantem Alagherium - Critica analysis Iohannis Teresi”

Salutem Vobis dico

*Iohannes Teresi*

## **Ulixes qualis sit apud Homerum et apud Dantem Alagherium**

### **Critica analysis Iohannis Teresi**

“...impius ex quo / Tydides sed enim scelerumque inventor Ulixes / Fatale adgressi sacrato avellere templo / Palladium caesis summae custodibus arcis / Corripuere sacram effigiem manibusque cruentis / Virgineas ausi divae contingere vittas”.

**VERGILIUS Aeneas II 163-169**

Quod ira peccatum est.

“Si autem aliquis appetat quod fiat vindicta qualitercumque contra ordinem rationis; puta si appetat puniri eum qui non meruit, vel ultra quam meruit, vel etiam non secundum legitimum ordinem, vel non propter debitum finem, qui est conservatio iustitiae et correctio culpae: erit appetitus irae vitiosus”.

**THOMAS AQUINAS – Summa theologica II-II 158,2**

“vis irascibilis denominatur ab ira, non quia omnis motus huius potentiae sit ira: sed quia ad iram terminantur omnes motus huius potentiae; et inter alios eius motus, iste est manifestior”.

**THOMAS, Summa I-II 46,1**

Ira et dolus peccata mortalia sunt.

“Fit motus irae causativus cuiusdam fervoris sanguinis et spirituum circa cor, quod est instrumentum passionum animae” (THOMAS, Summa I-II 48,2) et “caliditas ... cordis repellit timorem, et causat spem, propter cordis extensionem et amplificationem” (Summa I-II 45, 3)

Ex duabus episodiis *Ulixis* et *Guidonis da Montefeltro* apparet iram et dolum peccata esse.

Ulixes autem se praestat dolosum, sed etiam patriae amantem.

Ulixes cum ab Ilio in patriam Ithacam rediret, tempestate ad Ciconas est delatus, quorum oppidum Ismarum expugnavit praedamque sociis distribuit.

Inde ad Lotophagos, homines minime malos, qui loton ex foliis florum procreatum edebant, qui cibus tantam suavitatem praestabat, ut qui gustabant oblivionem caperent domum redeundi. Ad eos socii duo missi ab Ulike cum gustarent herbas ab illis datas, ad naves obliti sunt reverti; quos vinctos ipse reduxit. Inde ad Cyclopem Polyphemum Neptuni filium navigavit.

Huic responsum erat ab augure Telemo Eurymi filio, ut caveret ne ab Ulike excaecaretur. Polyphemus in media fronte unum oculum habebat et carnem humanam epulabatur: qui, postquam pecus in speluncam redegerat, molem saxeam ingentem ad ianuam opponebat. Qui Ulixem cum sociis inclusit sociosque eius degluttire coepit.

Ulixes, cum videret eius immanitati atque feritati resistere se non posse, vino quo d' Marone acceperat cyclopem inebriavit, seque Οὐτίν, i.e. Neminem, vocari dixit. Itaque cum Ulixes oculum Polypheimi trunco ardenti exussisset, is clamore suo ceteros Cyclopas convocavit, eisque spelunca praeclusa dixit: “Οὐτίς με excaecavit”. Tum illi non advenerunt, quia crediderunt Polyphemum esse mente captum. At Ulixes socios suos ad pecora alligavit et ipse se ad arietem, et ita e spelunca effugerunt. (Igino -Nova Lexis Plus pagina 174- 5 Numero 182)

Sirenes, Acheloi fluminis et Melpomenes Musae filiae, Proserpinae raptu aberrantes, ad Apollinis petram venerunt, ibique Cereris voluntate, quod Proserpinae auxilium non tulerant, volaticae sunt factae.

His responsum erat tamdiu eas victuras quamdiu cantantes eas audiens nemo esset praetervectus. Quibus fatalis fuit Ulixes: astutia enim sua cum praeternavigavisset scopulos in quibus morabantur, se praecipitaverunt in mare.

A quibus Sirenides cognominatur, qui est inter Siciliam et Italiam. (Igino)

*“... scientiam pollicentur, quam non erat mirum sapientiae cupido patria esse cariorem”* (v. 90 sqq. *De finibus* V 18,49 - Cicero)

Inde Ulixes in insulam phaeacum venit nudusque arborum foliis se obruit, ubi Nausicaa, Alcinoi regis filia, vestem ad flumen lavandam tulit. Ille erepsit e foliis et ab ea petivit, ut sibi opem ferret; illa misericordia mota, pallio eum operuit et ad patrem suam adduxit. Alcinous hospitio liberaliter acceptum donisque decoratum in patriam Ithacam dimisit.

Post vicesimum annum sociis amissis solus in patriam rediit, ab hominibus non cognitus domum suam advenit, procos, qui Penelopen in coniugium petebant, obsidentes vidit, seque hospitem esse simulavit.

Et Euryclia nutrix ipsius, dum pedes ei lavat, ex cicatrice Ulixem esse cognovit. Postea Minerva adiutrice cum Telemacho filio et duobus servis procos interfecit sagittis.

Eumaeus subulcus, qui Ulixem non recognovit, quoniam Minerva eum et habitum eius commutaverat, dominum suum rogavit unde esset, et ille ait se naufragio illuc pervenisse. Quem cum pastor interrogaret num Ulixem vidisset, dixit ille se comitem eius esse, et signa et argumenta coepit dicere. Quem mox Eumaeus casa recepit, cibo potuque animavit. Quo cum venissent famuli procorum missi solito more pecora petitum et ille interrogasset Eumaeum, qui essent, pastor respondit: "Ulike profecto cum iam tempus intercederet, proci ad Penelopem in coniugium petentes venerunt; quos illa diem de die ita producit:

*"Cum telam texuero, nubam", sed telae partem quam die texuerat, noctu detexebat, et sic eos differebat; nunc autem illi cum ancillis Ulixis discumbunt et pecora eius consumunt".*

Tunc Minerva effigiem Ulixi restituit: subito subulcus, ut vidit Ulixem esse, eum tenens amplectensque gaudio coepit lacrimare. (Variis libris Igino)

Quid dicamus de morte Ulixis? Nonne erravit *Dante*?

*“Est autem hic ultimo toto animo advertendum, quod illud quod auctor hic scribit de morte Ulixis non habet verum neque secundum historicam veritatem neque secundum poeticam fictionem Homeri vel alterius poete. Dixerunt ergo aliqui et famosi, quod Dantes non vidit Homerum et quod expresse erravit ... Verumtamen quidquid dicatur nulla persuasione possum adduci ad credendum quod auctor ignoraverit illud quod sciunt et pueri et ignari; ideo dico quod hec pocius Aligheri de industria finxit: et licuit sibi fingere de novo, sicut aliis poetis propter aliquod propositum ostendendum. Videtur enim ex fictione ista velle concludere quod vir magnanimus, animosus, qualis fuit Ulixes, non parcit vite periculo vel labori, ut possit habere experientiam rerum, et potius eligit vivere gloriose per paucum tempus quam diu ignominiose”* (Benvenuto da Imola)

Servius sic explicat locum Vergilianum:

*“... nam et Aeneas illic occiso Miseno sacra ista complevit et Ulixes occiso Elpenore. Quamquam fingatur in extrema Oceani parte Ulixes fuisse: quod et ipse Homerus falsum esse ostendit ex qualitate locorum, quae commemorat, et ex tempore navigationis; dicit enim eum a Circe unam noctem navigasse et ad locum venisse, in quo haec sacra perfecit: quod de Oceano non procedit, de Campania manifestissimum est”*. (SERVIUS, Aeneis VI 107)

*“Est locus extremus, pandit qua Gallia litus Oceani, praetentus aquis, quo fertur Ulixes Sanguine libato populum movisse silentium”* (Claudianus – *Contra Rufinum* I 123 sgg.)

Et ex Benvenuto: “*propter aliquod propositum ostendendum*”.

*“Io e i compagni eravam vecchi e tardi,*

*quando venimmo a quella foce stretta*

*ov’Ercole segnò li suoi riguardi,”* (Dantes Aligheri – vv.106,108)

*“Nimis absurdum est ut dicatur aliquos nomine ex hac in illam partem, oceani immensi tate traiecta, navigasse ac pervenire potuisse”* (AUGUSTINUS, *Civitas Dei*, XVI)

*“O frati, dissi, che per cento milia  
perigli siete giunti all’occidente,  
a questa tanto picciola vigilia ...”* (Dantes Aligheri – vv. 112,114)

*“multa diffundens verba iocosa sed leporis tanta disertus facundia  
quod neminem sibi parem habuit in composizione sermonum”* (Guido Delle Colonne, ed Griffin, p. 84)

Benvenuto orationem Ulixis intelligit potius:

*“Vide quod captatio benevolentie non solum fit per esordium, sed etiam per coeteras partes orationis: est enim velut sanguis diffusus per membra vivificans totum corpus orationis”.*

Ulixes ubi est in Oceano extremo:

*“perduto a morir gissi... (Dantes Aligheri v. 84)*

*... quando m’apparve una montagna, bruna*

*per la distanza, e parvemi alta tanto, ...”* (Dantes Aligheri vv.133,135)

*“Que autem sit ista, quam a longe in plaga meridiana vidit Ulixes, non bene sciri potest, quia de illa terra nulla vera istoria reperitur, tum quia nullum unquam de illis partibus ad nos venit nec de nobis unquam illuc ivit, qui ad nos postea sit reversus”.*

Caelum in terris sit amet Dantis ad inferos<sup>1</sup>:

*“esse paradisum, longo interiacente spatio vel maris vel terrae, a regionibus quas incolunt homines secretum, et in alto situm, usque ad lunarem circulum pertingentem; unde nec aquae diluvii illuc pervenerunt”.* (Pietro Lombardo – *Libri sententiarum* dist.17)

**Scripsit Johannes Teresi**

---

<sup>1</sup> Leo Latinus confitetur se non intellegere hanc sententiam auctoris.

## ECHUS VOCES

**WERNER HÜMMERICH** 15.06.2017, 20.46 h

Nach gut 60 Jahren habe ich mit Genuß und Überraschung dank Ihrer Übersetzung mal wieder in Karl May reingeschaut und war überrascht, daß er gar kein so schlechter Schriftsteller war wie man ihn später so gerne hinstellte .Auf den paar Seiten Winnetou ist u.a.mehr Realitätsbezug als in ganzen Bänden der moderneren Jugendliteratur und schlecht geschrieben ist es auch nicht .

Aber das nur am Rande. Auch wenn ich immer noch nicht lateinisch formulieren kann , bewundere ich Ihre stilistische Eleganz im Lateinischen und freue mich immer wieder über Ihre Briefe . Deshalb möchte ich Ihnen heute meinen Dank für die vielen anspruchsvoll verbrachten Stunden aussprechen.Ich wünsche Ihnen alles Gute und eine schöne Ferienzeit , falls Sie noch im Schuldienst sind. Werner Hümmerich 56340 Osterspai.

**LEO LATINUS** 15.06.2017, 21.30 h Herzlichen Dank, lieber Herr Hümmerich. Ich freue mich sehr, dass Ihnen die Löwenbriefe gefallen. Auch ich glaube, dass Karl May schon oft unterschätzt wurde. Vor allem bewundere ich seinen ungeheuren Fleiß, seine grandiose Phantasie, und seinen Sinn für Gerechtigkeit. Einen schönen und erholsamen Sommer wünscht Ihnen Nikolaus Groß.

### **FRANK STÄRKERT**

Am 15.06.2017 um 17:47 schrieb Frank Staerkert:... non ceciderat. Si heri picturae videbam, reminiscebatur eram fabulam veteram ex quae dicebam. Tonitri sonant postquam mensam meam, si haec verbae nunc scribo. Cogito: Insulae, erectae tempore nostris, non facile ceciderent. Sed tempore antiquibus etiam. Postquam erectae sunt, stabant tempore longissime, id est saepe fere centum annos. Scio, quia verba latina mea verisimile falsa sunt. But I do my best, and am a little bit surprised to find myself like trying to communicate in an ancient language! Since I've been writing this down just like it comes up my mind, so to speak. wishing all the best, Frank

Care France, gaudeo, quod Latine scribere coepisti. Stilus est magister optimus. Nulla dies sine linea! Medullitus te salutat **LEO LATINUS**

### **SALIM HAGE**

Am 11.06.2017 um 19:22 schrieb **Salim Hage**: Carissime Nicolaë, Tibi gratus sum propter Epistulas CXXXV. ac CXXXIV, necnon propter summarium theseos meae doctoralis latinum. Sed non putabam te illud summarium in Epistulam Leoninam (tam cito, sine imaginibus et cum nuntiis nostris interretialibus totis) inserturum esse. Domi possideo librum III. historiae Vinnetui, a Johanne Linnartz in Latinam versum; non scio cur Linnartz cum libro tertio incepit (et tantum librum tertium publicavit). Nunc cura tua complebitur versio deficientium librorum. Ad faustum successum! Nomen Vinnetui Linnartz autem ut nomen quartae declinationis declinabat: N.V. Vinnetu (sine S), G. Vinnetus, D. Vinnetui, Acc. Vinnetum, Abl. Vinnetu. Sed lingua Latina nomina abundantia (gallice dicimus "noms surabondants" quod "superabundantia" significat) recte tolerat, sicut attagen et attagena, fulix et fulica, vultur et vulturius, palumbes et palumbus, Druis (pl. druides) et Druida, mendum et menda, Ada/Adamus/Adam, myrtu / myrto (abl.), myrtus / myrti (gen. sing., nom.pl.), et multa alia verba, quibus ex hoc Vinnetu et Vinnetus addere possumus. Medullitus te salutat Sarbelius.

**Mi care Sarbeli,** semper gratias ago pro epistoliis tuis Latinis. Imagines dissertationis tuae pharmaceuticae (nescivi tibi tales esse) proxima occasione oblata libenter supplebo. Scribas fortasse summarium prolixius, cui inseras imagines. Versionem Linnartzianam ante 20 fere annos ab ipso interprete accepi et cum eodem illo tempore de nominibus et vocabulis adhibendis per epistulas collocutus sum. Quod attinet ad nomina hominum propria, nullum mihi notum est exemplum antiquum, quod desinit in -u et flectitur secundum declinationem quartam. Quia oportet talibus versionibus insit etiam quoddam emolumenitum didacticum (solent legi a discipulis et studentibus), displicet soloecismi et aberrationes grammaticae. Ceterum in modernis quoque linguis syntheticis et flexivis nomina aliena propria ita mutantur, ut possint declinari. Exemplo sit mihi lingua Lituanica, quae habet 7 casus, et nomina aliena propria declinat more proprio, e.g. *Gerhardas Šrioderis* dicitur pro nomine theodisco [Gerhard Schröder](#) et *Džordžas Bušas* pro [George Bush](#) et *Haris Poteris* pro [Harry Potter](#). Scilicet hunc modum denominandi interdum esse difficiliorum intellectu et adhibitu, sed oportet nos puritatem sermonis Latini servemus. Si facilitas esset criterium nostrum gravissimum, melius adhiberemus linguam esperanticam (quam minime contemno, sed meum est propositum latine scribere). Haec hactenus, mox fortasse plura. Medullitus te salutat Nicolaus.

Am 12.06.2017 um 18:49 schrieb Salim Hage: **Carissime Nicolaë,** Recte dicis, et Latina lingua pura servanda est (etsi verum placitum est novas exceptions creare). Ego eadem cogitavi, cum primo nominativum "Vinnetu" legi. In gymnasio didici quod nomina neutralia tantum U in nominativo habere possunt: cornu, gelu, genu, veru, testu, Chullu, etc. Etsi saepe ut indeclinabilia in modernis dictionariis indicantur, semper declinabamus ea sequenti modo: N.V.Abl. cornu, G. cornus, D. cornui, Plurali: cornua, cornuum, cornubus/cornibus. Medullitus te salutat Sarbelius

**Bone Sarbeli,** itaque mihi displicet forma nominis Linnartziana. Ceterum nondum totam versionem vidi, sed partem illam (ca. 40 pp.), quam mihi annis nonagenariis miserat Linnartz (ceterum nescio, num adhuc vivat. Verisimile est magnam partem non scriptam esse a Linnartzio ipso, sed a Rocho Habitzky parocho qui bene scivit Latine). Nuper vidi versionem posse adhuc emi. Suspicor mihi multa quae huic versioni insunt non fore iucunda. Fortasse scribam recensionem. Bene vale, **N.**

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipue disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non éditur in domunculā Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicē »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeratas, quibus operam dedit illis creandas.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR .	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE- TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAЕ	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenma tt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptman n	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	--	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	_____	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,**

**USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
CENTESIMAM TRICESIMAM SEXTAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**die Dominico, 02. m.Iul., a.2017**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**

**<http://www.leolatinus.de/>**